

2.

Programm

des

Gymnasiums der Stadt Pyritz,

womit

zu der öffentlichen Prüfung am 25. März


ergebenst einladet

Dr. Adolf Zinzow,
Director.

Inhalt:

1. Lectiones Sibyllinæ. Scr. R. Volkmann.
2. Einweihung des Gymnasialgebäudes und Schulnachrichten vom Director.

Pyritz, 1861.
Gedruckt bei C. Hesse.



Farbendruck v. Fr. Kuhlow & Co. Stettin.

GYMNASIUM ZU PYRITZ.

Oraculorum Sibyllinorum nondum eam volgatam esse editionem, quae si non omnibus numeris perfecta, qualem e depravatissimis codicibus ne alter quidem Bentleius restaurare possit, tamen, si totum spectes, laudabilem saltem verborum contextum exhibeat, cum omnes sciunt tum neminem certe fugere potest, quisquis ipse quantulumcunque studii in his oraculis posuit aut emendandis aut interpretandis. Talem enim editionem quo minus Alexandro viro doctissimo debeamus, illud puto obfuit, quod is ratione, quae inter oraculorum codices intercedit, non satis perspecta in octo prioribus libris peiorum codicum auctoritati nimis se addixit *). Verum cum vel præstantiorum codicum scriptura talis sit, ut criticorum medelam innumeris locis requirat, intellegere licet scripturae fundamento temere arrepto ne emendationis quidem officium, quamvis egregie oraculorum elocutionem et rationem metricam perspexerit, Alexandro bene cessisse: non aliter, ac si quis ædificium harenae malit imponere, quam firmis et in altum deiectis superstruere molibus.

Ac ne quis eiusmodi iudicium temere a nobis et arroganter latum esse censeat, in commentatione infra scripta primum sententiam nostram de codicum ratione iam olim sed brevius ex instituti ratione propositam in specimine novae Sibyllinorum oraculorum editionis Sedini a. 1854 edito argumentis probabimus. Deinde a novo scripturae fundamento profecti selecta capita ex oraculorum doctrina metrica post Alexandrum exponemus, ita ut novis curis simul ea retractentur, quae in dissertatione de oraculis Sibyllinis Lipsiae a. 1853 edita disputavimus. Cui libello, ut libere dicam, non sine iuvenili quadam festinatione conscripto, quamquam honorificentius de eo iudicavit Alexander, multa insunt, quae ita a me scripta esse nollem, cum alia quædam contineat ne nunc quidem displicentia. Postremo addentur emendationes quædam in priores Sibyllinorum oraculorum libros.

I.

Undecim oraculorum codices hactenus ad criticum usum adhibitos in tres classes sive recensiones diviserunt editores Fridlibius p. LXXII, Alexander p. XLV sqq. Quarum prima præmisso procemio de oraculis Sibyllinis octo priores libros eo ordine continet, quem ex

*) v. quae de Alexandri editione disputavi in Philologi vol. XV p. 317 sqq.

Iusti Betulei editione principe receptum omnes servaverunt editores. Conficiunt eam codex Vindobonensis, Oxoniensis, Monacensis, Scorialensis (A B Pr S). Altera eosdem libros inverso tamen ordine exhibet. Nam initium facit a libro octavo, secuntur liber secundus et tertius in unum coniuncti ac deinceps reliqui. Huc pertinent codex Laurentianus et duo Parisini (F L R). De tertia classe, quæ ex octo prioribus libris sextum cum octavi vv. 217—428 tamquam nonum, ac deinde quartum tamquam decimum exhibet, iisque libros XI—XIV subiungit (codd. H M Q V), quantum satis est infra disputabimus.

Trium vero codicum, qui primam classem constituunt (nam de quarto Scorialensi pauca tantum rettulit Alexander in curis posterioribus p. 123), nullum ex altero fluxisse immo omnes e communi aliquo fonte derivatos esse manifestum est. Etenim unicuique propriæ quædam sunt lacunae et proprii versus, qui in reliquis desunt. Atque omnium integerrimus est codex Monacensis Pr, in quo raro quædam desiderantur, quae in altero vel alteris leguntur, veluti quod I 279 omissus est in codd. Pr et B, cum legatur in A. Item III 164. 198. 712. 724. Multo plura desunt in codice B, neque solum unum alterumve vocabulum quem ad modum I 136. 339, sed etiam integri versus I 268. 279. VIII 195 nec non tota pars ab I 381 usque ad III 105, nisi quod hoc loco aliquot codicis folia intercidisse videntur. Permulta etiam in codice A desiderantur, velut integri versus I 268. III 105. 112. 789. V 190—227. VIII 228 et vocabula quædam I 19. 246. 397. 398. III 109. 732. V 368 (ubi omissio orta est, quod librarii oculi ab alterius versus clausula ad alterum aberraverunt) rell. Omnino hic codex festinanter scriptus est, ut iure vituperandus sit Fridlibius, qui eum tamquam exemplar totius familiæ proposuit, id quod vel propter lacunas, quae ei insunt, fieri non debebat. Immo summa auctoritas inter quattuor codices, si quidem recte Alexander Scorialensem adeo cum Vindobonensi consentire ait, ut ovum ovo similius non sit, penes codicem Monacensem Pr est, quo Betuleius pro editionis suæ fundamento usus est. Quo loco valde dolendum est tam Fridlibium quam Alexandrum sibi persuasisse hunc codicem ad verbum quam accuratissime in Betulei editione expressum esse, ut ipsi nova eius collatione abstinerent eo contenti, ut diversam scripturam editionis in apparatu critico enotarent. Inde primum factum est, ut aliquot bonæ lectiones hunc usque in diem prorsus delituerint, deinde ut multae tam Castalioni et Opsopoeo quam Alexandro acceptae ferantur emendationes, quas ego, cum integram eius instituerem collationem, in ipso codice inveni.

Utriusque generis aliquot exempla proponere licet. Itaque I 97 Fridlibius sic edidit: ἄλλοι δ' ἄλλα ἕκαστα μεμηλότες τεχνώοντο. Alexander ad versum melius, peius ad syntaxin μεμηλότε recepit ex codd. A B. At neutrum recte est, cum unice μεμηλότα loco conveniat, hoc sensu: 'alii alia fabricaverunt,quæcunque ipsis cordi erant'. Qua lenissima emendatione hunc locum cum a. 1854 sanavissem in specimine, eandem postea scripturam codicis Pr inveni, quem a. 1855 demum Henrici Keilii viri doctissimi amicissimi intercedente humanitate conferre licuit, nisi quod codex in fine versus habet τεχνώοντι, id quod unice ex Betulei editione enotarunt editores prioris et rectae scripturae ignari. Idem codex I 344 recte exhibet coniunctivum ἥξῃ (de forma v. Lobeck. in Phryn. p. 743) quem etiam ex codd. R L enotavit Alexander. Eadem forma in cod. A vulgato ἥξει superscripta est III 73: ἀλλ' ὁπόταν μεγάλοιο θεοῦ πελάσωσιν ἀπειλαὶ | καὶ δύναμις φλογέουσα δι' οἴδματος εἰς γαῖαν ἥξῃ | καὶ Βελίας φλέξῃ καὶ ὑπερφιάλους ἀνθρώπους — ubi φλέξῃ pro φλέξει recte habet Pr, apodosis vero incipit a v. 75: καὶ τότε

δὴ κτλ. Multa præter ea levioris momenti emendari possunt ex hoc codice, veluti quod V 81 recte δέ pro τε in eo legitur et v. 184 θησαυρέ non θήσαυρε pravo accentu, quod pæne incredibile est, per omnes editiones propagato et VIII 391 κνίσης non κνίσσης. Neque minus recte VII 30 γ' post θεόν omissum mihi videtur. Quæ vero Alexander coniecit ὅτις V 12, ἡγεμονεύσει 205, βροτῶν 232, ut de aliis permultis taceam, in ipso codice extant.

Verum Betulei ista editio, quidquid obloquuntur editores, non accurate ad codicem expressa est, cum Betuleius sæpe correctiones e Lactantio collectas in codicis scripturam intulerit, velut III 816 (μνήμην μου) ubi verborum collatio μου μνήμην Lactantio debetur. V 249 ubi vocabulo μένος Betulei manus in ipso codice γ litteram e Lactantio superscripsit: VIII 205 ubi codex in vocabulo νεκρῶν deficit addito λείπει, reliqua Betuleius in editione sua supplevit e Lactantio. In eiusdem libri v. 273 codex Pr ut reliqui omnes habet παύσεις, παύσει τε Lactantius, Betuleius. Quin etiam integrum versum VIII 312 e Lactantio interpolavit Betuleius, qui in nullo codice legitur, nec non versus clausulam v. 205. Deinde ne in iis quidem , quæ e codice retinuit, sine neglegentia versatus est. Nam V 240 edidit βρῶμα, codex autem habet βρῶμα superscriptis litteris πό a prima manu, atque librarius lectionem πόμα exhibere voluit, qualis est in F L. IV 16 legitur in codice, omissus est in editione. III 218 codex non bis descripsit ut editio, sed addit in fine rubris litteris λείπει. Accedit quod Betulei editio fœdissimis typothetarum erroribus deformata est, quos Fridlibius variae scripturae elencho inseruit omnes, quasi ita legerentur in ipso codice.

Iam transeamus ad alteram oraculorum recensionem sive secundum librorum ordinem codices F L R complexum. Quos omnes ex eodem fonte fluxisse manifestum est. *Fuit autem hic fons codex aliquis prioris ordinis, in quo anonymi scriptio de oraculis defuisse videtur.* Atque hunc fontem prava scioli alicuius sedulitas interpolavit mutato librorum nec non singulorum quorundam versuum ordine, spuriis aliquot versibus additis, metricis vitiis sine certa tamen et constante ratione correctis, plurimis ad merum arbitrium mutatis, ut textum exhibeant secundi ordinis libri in re critica aut nullius aut perexigui pretii. Fundamentum autem horum codicum nullum aliud fuisse nisi librum aliquem prioris classis, eius rei certissimum argumentum non tam ex manifestis aliquot corruptelis iisque omnium librorum communibus velut inepto isto ἄκοιτις pro αὖθις I 283, quam inde peto, quod utriusque ordinis communes sunt lacunae, non eas dico, quas editorum diligentia animadvertit, sed minores istas, quas comparatio codicum H M Q V in quarto libro et septimo indicat. Nempe desunt in omnibus primae secundæque classis codicibus hi versus: IV 112. 113. 115. 148. VII 1. prorsus eodem modo in omnibus mutili sunt: III 583. IV 97. 181—183. 185. 189. V 87—89. 92. 291. 292. VII 93. 141. VIII 99. 114. 166. 205. 212—216. 256—60. 279. 429, ut iam de communi utriusque recensionis fundamento dubitari nequeat. Interpolationis autem apertissimum vestigium eo cernitur, quod Phocylidis ποίημα νουθετικόν tamquam Sibyllinum aliquod opus in contextum libri secundi receperunt hi codices (II 56—148), quod in uno codice Scorialensi sub Phocylidis nomine calci totius oraculorum corporis subiectum est, in reliquis eiusdem ordinis non legitur.

Sed audiamus Alexandrum de his codicibus præf. p. XLVII ita disserentem: 'Id interim observandum duas priores codicum classes, quod ad orationis contextum attinet, in minutis quidem sæpe differre, generali tamen quodam lectionis habitu convenire, præterea eosdem

versus eademque parte truncatos offerre, qui olim a sanctis Patribus integri legebantur. Quo facilius ex uno fonte manasse illos credimus, et incertum quo tempore, sed fortasse non multo remotiore quam sæculo XV, duas recensiones ex una factas. At enim si eas diligentius inter se contuleris, apparebit secundae classis codices minus ab antiqua ratione distare, 1) quod multa præbeant quae in alteris desunt, eaque antiquae notae, nec recenter interpolata, cuiusmodi sunt transitiones illae primis in libris obviae, et quae alia paulo ante recensuimus; 2) deinde quod, ubi lectiones diversas ab alteris proponunt, meliores plerumque et antiquiores offerunt, id quod præcipue sub finem secundi libri observare est, ubi antiquae sibyllistarum doctrinae non prorsus orthodoxae manifesta quædam deprehenduntur vestigia, quae in primae classis exemplaribus frustra quæras. Ac secundam classem prima potiorem esse demonstrat Opsopoei textus ipse, qui e codice Regio castigatus, Betuleiano correctior evasit'.

Ac recte quidem Alexander utrumque librorum ordinem ex eodem fonte fluxisse statuit, nec non ex una duas factas esse recensiones, sed in reliquis omnibus virum doctissimum egregie falsum esse censeo. Illud sane negari nullo pacto potest Opsopoei editionem haud paucis versibus præstare Betuleianæ. Verum id factum, non quod meliores codices secutus sit, sed quia rem criticam in Sibyllinis saltem laudabili modo exercuit Opsopoeus, cum Betuleius adeo aut hebes fuerit aut neglegens in his rebus, ut ne operariorum quidem errata emaculaverit, de quo supra dictum est. Sunt autem multo plures loci, quibus Opsopoei textus inferior est Betuleiano, ut infra docebimus. Porro si reliqua Alexandri argumenta singillatim ad examen vocantur, primum dicendum est non multa, sed perpauca extare in his codicibus, quae in alteris desint. Ac de Phocylideis quidem monuimus. Præter ea quindecim postremi versus libri octavi in his tantum codicibus leguntur. Desunt in Pr A B S, verum codex A teste Fridlibio ad finem perductus esse a librario non videtur, quod tamen unde collegerit Fridlibius, nescio. In ipso vero oraculorum corpore unum tantum versum exhibent ab alteris codicibus alienum II 224, de quo corruptissimo loco iam dixi in specimine p. 4. In codicibus Pr A B ita legitur: (221) καὶ τότε νερτερίοις ψυχὰς καὶ πνεῦμα καὶ αὐδὴν | δώσει ἐπουράνιος καὶ τ' ὀστέα ἁρμοσθέντα | ἁρμοῖς παντοίοις, σαρξὶ σάρκες καὶ νεῦρα περὶ χροΐ | καὶ φλέβες ἠδέ τε δέρμα δ'αἱ πρὶν ἔθειραι | ἀμβροσίως πηχθέντα καὶ ἔμπυσα κινηθέντα. Contra codices F L R versus hosce exhibent: (222) δώσει ἐπουράνιος θεὸς ὀστέα θ' ἁρμοσθέντα | ἁρμοῖς παντοίοις, σαρξὶν δέ τε πάσαις σάρκας | νεύρεσιν νεῦρά τε καί τε φλέβεσσιν ἁπάσαις αἷμα | δέρμα δέ, γ' ἐν χροΐ αἱ πρὶν ἔθειραι εἰσαῦθις φύσουσιν | ἀμβροσίως πηχθέντα καὶ ἔμπνοα κινηθέντα, versu 225 ἀμέτρῳ et prorsus inepto Atque mihi quidem certissimum videtur librarium versibus, quos in fonte suo mutilos et aliqua lacuna depravatos invenerat, pannum assuisse ex coniectura novumque versum contaminasse. Equidem sic statuo legendum esse: καὶ τότε νερτερίοις ψυχὰς καὶ πνεῦμα καὶ αὐδὴν | δώσει ἐπουράνιος καί τ' ὀστέα ἁρμοσθέντα | ἁρμοῖς παντοίοις. σαρξὶν φλέβες ἠδέ τε δέρμα | καὶ σάρκες καὶ νεῦρα περὶ χροΐ χαἱ πρὶν ἔθειραι | .... ἀμβροσίως πηχθέντα καὶ ἔμπνοα κινηθέντα, quo loco, si quis censeat integrioris scripturae vestigium servatum esse in vocabulis εἰσαῦθις φύσουσιν eaque in fronte versus deperditi reponenda, nihil moror. Ceterum tantum abest, ut locum iam ex omni parte sanatum esse censeam, ut pæne certum mihi videatur pro σάρκες aliud quoddam requiri substantivum: atque sanguinem commemorari debuisse vel ab ipso interpolatore bene perspectum est. Alexander autem, qui vehementiore etiam transpositione admissa posteriores versus sic edidit: ἁρμοῖς παντοίοις καὶ ἀμβροσίως πηχθέντα. | σαρξὶν δ' ἐν πάσαις σάρκες, νεύροισί τε νεῦρα | καὶ φλέβες, ἠδέ τε δέρμα· περὶ χροΐ δ' αἱ

πρὶν ἔθειραι | εἰσαῦθις φύσουσι κτλ. vereor, ne nimium tribuerit interpolatorum codicum auctoritati, neque placet, quod nominativi σάρκες νεῦρα rell. verbo carent, a quo pendeant.

Alios versus additos in his codicibus non inveni; nam quod libro III post v. 573 inepte iteraverunt v. 565, vix opus est dicere. Verum extant tres versus mutili in priore codicum classe, integri in altera III 101. IV 161. V 85. Quorum primus integer etiam extat in Theophilo, secundus in Lactantio, cuius Sibyllina diligenter in usum suum convertit librarius. At tertii versus exiguum supplementum haud scio an ex coniectura petiverit, id quod in aliis versibus ab eo factum esse in dubium vocari nequit. Sed eius modi supplementis, quæ plerumque unius vocabuli mensuram non excedunt, cave ne quid antiquae scripturae subesse temere credas. Itaque III 200: υἱοὶ γὰρ κρατεροῖο Κρόνου τίσουσι δίκας — metri causa codices F L R addiderunt γε in fine, quod ita collocatum ferri neutiquam potest. Immo consistendum est in codicum Pr A B scriptura et verbis paululum transpositis legendum: υἱοὶ γὰρ κρατεροῖο δίκας τίσουσι Κρόνοιο. Aliud exemplum peto e V 267: ἀλλά σε κυδάλιμοι παῖδες περιτιμήσουσι | καὶ μούσαις γλώσσαις ἁγίαις ἐπιστήσονται | παντοίαις θυσίαις καὶ εὐχαῖς ἐνθεοτίμοις. Ita codices Pr A B et veteres editiones. Addit autem L (et F Fridlibio auctore) in fine vocem τράπεζαν miserum supplementum librarii, cui versus omisso μούσαις (de quo vide Fridlibii notam) claudicabat. Itaque non probo Alexandri rationem, qui deleto γλώσσαις tamquam e margine intrusa vel interpretatione vel emendatione pii lectoris, qui voce μούσαις offenderetur, hunc versum concinnavit: καὶ μούσαις ἁγίαισιν ἐπιστήσουσι τράπεζαν, quod significare voluit: ‘ et sacris canticis celebrabunt aram’. Multo minus Fridlibium laudo, qui ineptum versum exhibuit: καὶ γλώσσαις ἁγίαισιν ἐπιστήσονται τράπεζαν — addita ridicula interpretatione: ‘und sie werden den Tisch hinsetzen mit heiliger Rede.’ Immo lenissima emendatione adhibita ego sic scribo: καὶ μ ο ῦ σ α ι γλώσσαις ἁγίαισιν ἐπιστήσονται | παντοίαις θυσίαισι κτλ. h. e. atque Musae sacris vocibus, non igitur ethnicorum Musae quarum voces sacrae non sunt, præerunt sacris faciundis.

Transitionibus autem horum codicum, quas Alexander dicit, primis in libris obviis, quid antiqui insit, nihil video. Hæc eius sunt verba p. XLV: ‘ in iis codicibus per totum libri illius decursum (nempe primi et secundi) quem e duobus concretum exhibent, *interpolata* sunt singulis carminis partibus analyses quædam, sive argumenta brevia, seu verius transitiones prosa oratione scriptae, et in fine eiusdem libri epilogus iambicus a theologo quodam medii ævi confictus.’ Mirabitur lector, quid sit, quod interpolatis argumentis sive transitionibus antiquam scripturae rationem in his codicibus probari credat Alexander. Verum eius modi argumenta ne in alteris quidem codicibus desunt, breviora tamen neque iisdem semper versibus adscripta. Itaque I 359 in margine cod. Pr legimus: περὶ Ἰουδαίων. Contra in codicibus F L R garrula interpolatoris loquacitas idem argumentum his verborum ampullis exornavit: εἶτα πρὸς τοῖς εἰρομένοις ἐπάγει ἡ Ἐρυθραία τὰ περὶ τῆς ἐκμανοῦς καὶ ἀσυγγνώστου τῶν κυριοκτόνων τόλμης καὶ τῆς διὰ τοῦτο γεγονυίας κινήσεως τοῦδε τοῦ παντὸς καὶ τῆς τῶν νεκρῶν ἀναβιώσεως λέγουσα τάδε. Item quae ad initium libri secundi in codd. Pr A ita leguntur: περὶ Ἑλλήνων καὶ περὶ θεοῦ καὶ περὶ ἁγίων καὶ περὶ κρίσεως, prorsus eadem in codd. secundae classis his verbis proferuntur: ὡσαύτως καὶ τοὺς πολυθεΐαν νοσοῦντας ἐλέγχει τούς τε ἀδίκους καὶ ἁμαρτωλούς· καὶ συμβουλεύει ὡς συγγενεῖς τὸν ἕνα καὶ μόνον σέβειν θεόν, εἶτα παροιμιάζει (παροιμιώζει?) τὴν ἄθλησιν τῶν ἁγίων. καὶ τελευταῖον περὶ τοῦ φρικτοῦ βήματος τοῦ σωτῆρος ἡμῶν φησί κτλ. Eadem ratio inter utriusque classis codices fere omnibus locis intercedit, ubi talia grammatici alicuius vel librarii addita-

menta ad marginem adscripta sunt, nisi quod extant quædam adnotationes in Pr A B omissæ in reliquis, ut III 62.

Denique quod tertio loco contendit Alexander hos codices, ubi lectiones diversas ab alteris proponant, meliores plerumque et antiquiores proferre, hoc vereor, ne omni ex parte falsum sit. Sane habent aliquot bonae notae scripturas. At cum etiam codicum Pr A B sua quisque et propria habeat, quidni statuamus item in quarto aliquo vel quinto huius ordinis codice, e quo F L R fluxerint, bonas nonnullas extitisse lectiones ab his codicibus servatas? Contra si universum codicum habitum perpenderis, dubium non erit, quin multo deterior sit alterius classis scriptura quam prioris, quod certe Fridlibii, qui corruptis horum codicum scripturis incredibili quadam superstitione se addixit, editio luculenter ostendit. Idem statuat necesse est, quisquis apparatum eius criticum, quem dicunt, vel summis oculis percurrerit. Postremum vero Alexandri argumentum de libri secundi fine desumptum, ubi 'antiquæ' inquit 'sibyllistarum doctrinae non prorsus orthodoxae manifesta quædam deprehenduntur vestigia, quæ in primae classis exemplaribus frustra quæras' vanum est, neque ea in re vir doctus sibi ipse constitit. Etenim quae vestigia doctrinae non prorsus orthodoxae in adnotationibus indicavit ad II 331. 335. 348 eadem etiam in codicibus Pr A B leguntur, ut tota sententia ad miserum illum byzantini nescio cuius sed inficeti auctoris epilogum iambicum recidat, quo Sibyllina doctrina de futuro pœnarum fine impugnatur, qui sane deest in Pr A B.

Iam si disputationis de his septem codicibus institutae summam paucis verbis in unum comprehendimus, ego quidem sic statuo: scripturae fundamentum in iis oraculorum libris, qui in codicibus H M Q V non extant, h. e. in libris I—III, V, VII et in octavi maxima parte, unice ab antiquiore recensione, qualem servarunt codd. Pr A B, petendum est. Nam reliquorum codicum, ita scripsi in specimine p. 5, si quae sunt propria et præcipua, non contemno quidem, sed ne pluris quidem facio quam aliorum virorum doctorum coniecturas. Et ne hoc quidem concederem, nisi certum et exploratum esset utramque oraculorum recensionem ex eodem fonte fluxisse.

De codicibus H M Q V licet nobis brevibus esse. Continent enim tres oraculorum libros a reliquis codicibus alienos XI—XIV, qui in nostris editionibus octavum secuntur. Omnibus præcedunt VI cum VIII 217—428 tamquam nonus et IV tamquam decimus liber. Præstantissimus autem et integerrimus huius tertiae classis est codex Monacensis a Michaele Rosaeto Græco Coronensi (μιχαὴλ ὁ ῥοσαῖτος ἕλλην ἐκ κορώνης) die VI Ian. a. MDXLI scriptus et siglo H notatus ab editoribus, quorum Alexander curr. postt. p. 124 accuratissime de eo disseruit. Cuius scripturam in omnibus omnium codicum partibus si cum vulgata et Betulei et Opsopoei contulerimus, immane quantum præstare primo statim adspectu intellegitur. Exhibet enim longe diversam et integriorem recensionem, quam, quia plerumque cum Sibyllinorum fragmentis convenit, qualia Lactantius Eusebius Theophilus servaverunt, omnium, quæ hodie extant, antiquissimam esse veri simile immo certum videtur. Unde sequitur huius codicis scripturam in libro IV, VI, VIII 217—428 (1—9) reliquis codicibus, nisi qui eiusdem classis sunt, neglectis unice sequendam esse. Atque reprehendendus foret, si quis vitiorum medelam, quorum sane in his quoque codicibus maximus est numerus, e varia aliarum recensionum scriptura petere mallet, quam ex coniectura, modo via procederet ac ratione.

II.

Omnes autem oraculorum codices neglegentissime scripti sunt. Et cum longum sit et supervacaneum singula quæque vitia enumerare, rem in universum tantum perstringam. Si quis plura scire cupit, adeat Fridlibii apparatum criticum et Alexandri editionem. Itaque primum dicendum est sine ullo fere discrimine usurpari η, ι, οι, υ, οι. Habent igitur, ut ex innumeris exemplis pauca proferam, in primo libro v. 109 κατήληθεν pro κατήλυθεν A Pr, v 114 οἰστραμανίς pro οἰστρομανής A Pr, v. 143 λοιποί pro λοιπή Pr. Præterea invenies αι pro ε et in vicem, ε pro η, a pro ο, ι pro ο et λ, κ pro λλ, μ pro λ, ν pro υ et σ præcipue in terminationibus nominum, υ pro β, ο pro ω et in vicem, ος pro α rell. Falsi tenores et prosodiae vocabulis appinguntur. Omittuntur litterae et geminantur sine causa. Quae cohærent male dirimuntur et contra, confunduntur vocabulorum terminationes propter compendiorum similitudinem, vocabula transponuntur, omittuntur. Sæpe librariorum oculi ab altero vocabulo aberraverunt ad alterum, ita in primis, ut sequentis vocabuli terminationem in præcedente praeoccuparent: aberraverunt etiam in proximos versus, ut hemistichia omitterent, vel sine causa iterarent, ut alieno loco falsa vocabula ponerent. Neque minus saepe librarii litterarum vel soni similitudine decepti vocabula confundunt. Sententiae causa, qualis ipsis placebat, haud raro proprio Marte vocabula finxerunt metro contraria. Inculcaverunt saepissime voculas καί, τέ, γέ, μέν, δέ similia. Vides, quam neglegenter versati sint, et cum priorum quisque vitia novis auxerit in suo exemplari librarius, apparebit opinor quanto iure Sibyllinorum editori vel emendatori coniecturarum ei generi indulgere liceat, quod a litterarum confusione et vocabulorum distinctione et transpositione tamquam primis rei criticae elementis proficiscitur. In primis autem cavendum est, ne quid temere Sibyllistis imputemus, quod merum librarii vitium est.

Hos enim scriptores neque insulsos fuisse vel inficetos neque omni pulcri venustique sensu destitutos multae oraculorum partes ostendunt, quibus elegantiae cuiusdam et coloris poetici laudem derogare non possumus. Assidue legerant sacrae scripturae libros et canonicos et apocryphos e graeca LXX interpretum translatione, nec mediocriter imbuti erant carminum Homericorum lectione, probe denique versati in ethnicorum oraculis iisque carminibus, quae sub Orphei nomine tum ferebantur, de quo iam Lobeckius dixit in Aglaoph. p. 439 sq. 460. Atque ex his quidem fontibus suum sibi et novum dicendi genus concinnaverunt, mixtum quidem nec elegans, nec tamen adeo horridum, ut barbarismos et soloecismos admitterent, ut vulgares etymologiae et syntaxeos canones neglegerent, ut verborum denique proprietatem infringerent.

Simile fere iudicium de Sibyllistarum ratione metrica ferendum est. Redierunt enim in versibus pangendis ad simplicitatem Homericam neglecta intricata illa sed elegantiore poetarum Alexandrinorum doctrina. Itaque non anxie numerant spondeos, non curant trochaeos neque in versuum clausulis neque in quarto pede. Modo hac modo illa caesura versus distinguunt. Correptiones Atticas ubivis admittunt, productiones brevium syllabarum in caesuris frequentant. Hiatum non pro vitioso habuerunt ante vocabula digammate olim vel spiritu aspero, quem dicunt, instructa in caesuris et post omnium fere pedum fines. Omnes vocales et diphthongos vel in mediis vocabulis ante vocalem corripiunt, vocales ancipites α, ι, υ, interdum pro metri necessitate et corripiunt et producunt. Sed est etiam in his rebus modus

aliquis et finis. Multas licentias invenias in Sibyllinis, non omnes et hoc pro certo ponendum est versus omni numerorum vinculo solutos horum carminum auctores numquam formasse atque omni studio emendanda esse vitia metrica, nisi certam aliquam et constantem licentiae normam eamque ratione firmatam inveneris.

Iam si singula circumspicimus, de caesuris illud tantum dicendum est omnes versus caesura destitutos corruptos esse. Atque unus extat V 156: εἵνεκα τιμῆς | ἥν τοι πρῶτον ἔθηκάν τ' εἰναλίῳ Ποσιδῶνι — cuius nullam adhuc inveni medelam. nam ἐειναλίῳ, quod Alexander proposuit in curis posterr. parum placet. reliquos aut priorum editorum diligentia emendavit, aut nostris curis sanabuntur. Ad hiatum quod attinet, legitimus est primum in caesura trochaica tertii pedis, quam rem praeivit Homerus, v. Hoffmann. Quaestt. Homer. p. 87 sqq. Cf. II 217. III 16. 301. 373. 466. 476. 778. IV 69. 81. VII 74. Invenitur in primis ante ea vocabula, quae ab aspiratione incipiunt, velut I 105. III 59. 92. 461. IV 160. Aliquot locis caesurae supervenit maior aliqua distinctio II 11. III 672. Secundo loco hiatus admitti potest post theses in fine omnium pedum. Post primum igitur pedem invenitur: I 112. 130. 291. III 10. 341. IV 34 ac duobus locis ante aspirationem III 113. VIII 169. Post secundum pedem semel tantum hiatum inveni III 222 ante ἔργα, quod digammate instructum est apud priscos epicos et saepius in oraculis hiatum facit. In fine tertii pedis hiatus legitimus est post praepositiones bisyllabas: ἀνά V 343. ἀπό II 36. 187 (v. Alex. c. p.) III 311. διά II 253. 316. ἐνί II 185. 190. ἐπί I 260. 261. 318. III 413. ὑπό I 394 (ex emendat. Opsop.) VIII 466 (v. Alex. c. p.). Alios hiatus in hac sede duos tantum inveni in versibus corruptela vacuis, II 251: ἵνα ἄξια ἔργα λάβωσι et V 278: ἃ Αἴγυπτος κατέδειξε. Praepositiones etiam in fine aliorum pedum interdum hiatum faciunt, velut ἐνί post quartum pedem IV 56, post quintum III 715, κατά post quintum II 270. III 229. Minime offendisse videtur Sibyllistas hiatus post tetrapodiam bucolicam obvius. Cf. I 259. II 251. III 192. 227. 254. 428. 489. 553. IV 55. 124. 135. 172. V 275 (nisi scribendum μέχρι pro ἄχρι). 352. 422. Praeter ea in fine quinti pedis inveni hiatum III 563. IV 39. 67. V 191.

Tertium concessi hiatus genus illud est, quotiens καί in fine spondei positum ante vocalem non corripitur. Quod cum in multis versibus factum sit, erraverit si quis, ubi per sententiam licet, τε καί scribendum esse censeat. In primis autem hoc factum est in fine tertii spondei: I 66. 211. II 183. 213. III 87. 258. 598. V 84. VIII 467 — etiam quarti III 204. IV 59. V 108 (nisi legendum est φῶτας e Lactantio) VIII 311 — nec non primi V 377. Hiatus in thesi spondiaca nullam excusationem e coniunctione καί habet in versibus, qui corrupti non videntur, hisce tantum: II 288. III 166. 519. 674 (de quo versu quae olim parum circumspecte scripsi in dissertatione ad monstri instar deformavit operariorum neglegentia). V 62 ante interpunctionem.

Iam vide quaeso, quae sit decantata illa Sibyllistarum licentia in rebus metricis. Atque syllabae breves consona clausae producuntur arseos vi, quam dicunt, quotiens caesura locum habet in secundo tertio quarto pede. Neque breves syllabae quaecunque, sed terminationes tantum in αν (ὅταν, ὁπόταν) I 319. 362. 377. 387. II 6. V 506. VIII 87. 88, ες III 597. 789, ιν I 352. II 292. III 6. 536. IV 150. V 178, ις I 198. 386, ον I 135. 364. II 40. 172. 200. III 254. 285. 770. V 192. 343, ος I 227. 262. II 324. III 90. 420. 758. Multo rarius producuntur syllabae apertae in α, ε, ι terminatae ante liquidas iisdem in pedibus: III 784. V 167. 187. 479.

VIII 258. Etiam α sequente κ, V 275, ε sequente κ III 466 (quinto pede), sequente π, I 269, sequente τ, I 358. Quibus accedit singularis aliqua productio, sed nulla coniectura sollicitanda III 700: οὐδ' ἀτελεύτητα, ὅτι κεν.

Verum quam proxime absint hæ licentiæ a metrica carminum Homericorum ratione, ipsi perpendant lectores, neque nobis in re trita ac vulgari opus erit exemplis singula probare. Iam videamus, num quid in reliqua commentationis parte ab his scripturæ et emendationis fundamentis profecti in oraculorum constituenda lectione proficiamus. Ne interpretis quidem officium detrectabimus, quotiens facta erit occasio.

III.

Prooem. v. 86: οἰκοῦντες Παραδείσου ὁμῶς ἐριθηλέα κῆπον. sermo est de piis animis nullo idolorum cultu conspurcatis earumque post mortem condicione. ὁμῶς ad sententiam prorsus abundat. non abundat I 101, neque cum πᾶς coniunctum in aliis oraculorum locis, quos citavit Alex. c. p. p. 139. collato I 26: αὐτὰρ ὁ μοῦνος ἐὼν Παραδείσου ἐριθηλέϊ κήπῳ hic quoque legendum videtur: οἰκοῦντες μοῦνοι Π. ἐ. κ. ceterum ὁμῶς abest a Theophili codice. addidit vocem Castalio ex Lact. I. D. II 13. — ***Lib. I*** 21: οὐρανόθεν καθορῶν· οὕτω τετέλεστο δὲ κόσμος. ita Alex. codd. habent ὑπότετελέστω. l. ὑπὸ δὲ κόσμος τετέλεστο. hanc enim productionem admisisse Sibyllam supra vidimus. de sententia v. Macar. Hom. XLV p. 222 citante Alex. p. 13: δύο κόσμους ἐδημιούργησε ὁ θεός, τὸν μὲν ἄνω τοῖς λειτουργικοῖς πνεύμασι, — τὸν δὲ κάτω τοῖς ἀνθρώποις ὑπὸ τὸν ἀέρα τοῦτον. de tmesi, quam dicunt, v. Alex. exc. VII p. 584. — Quod v. 60 de Deo narratur, qui serpentem peccati originalis auctorem νηδύϊ καὶ κενεῶνι ποιήσατο γαῖαν ἐρείδειν, ineptum est. l. γαῖαν ἐφέρπειν. cf. Genes. 3, 14: ἐπὶ τῷ στήθει σου καὶ τῇ κοιλίᾳ πορεύσῃ. — v. 76: γνωστοὺς δ' οὐκ ἐγίνωσκον l. δ' οὐ γίνωσκον e Turnebi libro. — v. 85: ἀλλ' οὗτοι πάντες καὶ εἰν 'Αΐδαο μολόντες | τιμὴν ἔσχηκαν καὶ ἐπὶ πρῶτον γένος ἦσαν. sensum Alex. esse voluit: ' in honore fuerunt, quod ad primam mortalium gentem referrentur '. in c. p. ἐπίπρωτον legendum esse censuit. verum l. καὶ ἔπει h. e. in primis cum primam gentem constituerent. — v. 132. 3: σοὶ δ' ὦκ' ἐκ ῥίζης τιν' ἀδιψήτοιο τεθηλὸς | δουράτεον κέλομαι δόμον ἄφθιτον ἀσκήσασθαι. Alex. recte e codd. R L δῶμ' dedit, non recte ex iisdem libris τιν' omisso γε scripsit, quod alter tantum exhibet. nam etiamsi hiatus in cæsura factus ferri potest, tamen a codd. præstantiorum scriptura propius aberit lectio τί γ'. — v. 139: γαῖα δέ μοι στήριγμα ποδῶν, περὶ σῶμα κέχυται | ἀήρ l. κέχυται περὶ σῶμα. — v. 199. 200: ἀλλ' ὅτε δὴ γενεῇ τὰ μάτην ἐλάλησεν ἀθέσμῳ | ὕψιστός τ' ὤφθη, πάλι δ' ἴαχε φώνησέν τε. ne quem articulus offendat ante μάτην cf. v. 143, ubi in codicibus est καὶ εἰσὶν ἄφωνα τὰ πέντε. verum l. πάλιν ἴαχε (πάλιν ἴσχε R L). etiam τ' post ὕψιστος suspectum est. — v. 202: ὅσσα τε ἤματι τῷ σοὶ ὑπέστην καὶ κατένευσα. l. ὁσσάτι' ἤματι. de elisione cf. v. 203: μυρί' ἔπραξαν. emendationi favent codd. R L, in quibus scriptum est ὅσσα τοι. — v. 207 corruptissimum codd. exhibent: τετραπόδων φύλα καὶ ἑπετῶν καὶ πετεηνῶν. Alex. scripsit: τετραπόδων [τά τε] φῦλα καὶ ἑρπετὰ καὶ πετεεινά. ego supplere malim: τετραπόδων μέν. in fine scr. πετεηνά, nam ita Pr A B, ut infra v. 277, eandemque scripturam habent codices tertiæ classis XII 345. restituenda etiam procem. v. 66. — v. 251: ἄψ ἐπὶ Νῶε πάλιν δέ τε ἤλυθε. sermo fit de columba, quae paullum in terris versata rursus ad arcam redit. l. δ' ἐπανήλυθε, nam arca constitit in excelso montis. — v. 281: ὄγδοος ἐξῆλθεν δὶς εἴκοσι καὶ μίαν ἠῶ l. ἐείκοσι, quod miror fugisse Alexandrum. —

v. 294: τρεῖς γὰρ βασιλεῖς μεγάθυμοι | ἄνδρε δικαιότατοι μοίρας διαδηλήσονται | πουλυετῆ δ' ἄρξουσι χρόνον. dualis ἄνδρε ferri non potest atque codd. habent ἄνδρες. tres illos viros Alex. in adnotatione rettulit ad Saturnum eiusque fratres. eosdem vero etiam de tribus Saturni filiis accipi posse postea monuit. hoc mihi verum videtur, itaque haud scio, an scribendum sit: ἄνδρα δικαιότατον μοίρῃ διαδηλήσονται, iustissimum virum calamitate afficient. cf. similem locum III 52. verbum διαδηλεῖσθαι non posse dividendi sensu intellegi, ut voluit Alex., apertum est. — v 297: γαίη δ' αὖ καρποῖς ἐπαγάλλεται αὐτομάτοισι | φυομένη πολλοῖσιν l. φυομένοις. — v. 369: κακῷ βεβοληµένοι οἴστρῳ | στήθεα καὶ κραδίην, ἀτὰρ ὄμμασιν οὐκ ἐσορῶντες. l. οὐδὲν ὁρῶντες. loquitur Sibylla de miseris illis obcæcatis, qui Dominum nostrum cruci affixum tamquam peccatorem ludibrio habebant.

Lib. II 1: ἦμος δὲ κατέπαυσε θεὸς πολυπάνσοφον ᾠδήν. l. δὴ coll. VII 489: ἡνίκα δή μοι θυμὸς ἐπαύσατο ἔνθεον ὕμνον. — v. 40: καὶ τότε γὰρ μέγας . . . . ἀγὼν εἰσελαστικὸς ἔσται | εἰς πόλιν οὐράνιον. Alex. in nota: 'quidni potius οὐρανίην?' at l. εἰς πόλον οὐράνιον coll. 200. III 86. — v. 168: τότε δὴ ὁσίων ἀκατάστασι' ἀνδρῶν. codd. habent ἀποκατάστασις. itaque non dubito, quin scribendum sit ἀκατάστασις. — v. 190—192: αἳ ὁπόσαι κείνῳ ἐνὶ ἤματι φορτοφοροῦσαι | γαστέρι φωραθῶσιν, ὅσαι δέ τε νήπια τέκνα | γαλουχοῦσιν, ὅσοι δ' ἐπὶ κύματι ναιετάουσιν. legendum esse ὅσαι quivis videt. ceterum κῦμα hoc loco idem est quod κύημα, atque αἱ ἐπὶ κύματι ναιετάουσαι sunt puerperæ, vel potius mulieres puerperii causa domum servantes, quod fugit editores omnes, nam ridicule, de quo mireris, vertit Alex. 'vae, qui propter aquas habitabunt,' Fridl. 'welche wohnen auf wogender Meerfluth,' quasi ineptire hoc esset oracula interpretari. — v. 208: κοὐκέτι πωτήσονται ἐν ἠέρι ἄπλετοι ὄρνεις. hiatus ferri potest. at coll. VIII 342 hic quoque scribe ἐπ' ἠέρος. — v. 229: κλεῖθρα πέλωρα πυλῶν τε ἀχαλκεύτων 'Αΐδαο | ῥηξάμενος Οὐριήλ. tolle τε, quod misere abundat. in ἀχαλκεύτων prima syllaba producitur, ut totiens α in initio vocabulorum longiorum in Sibyllinis. — v. 249: 'Αμβακαοὺμ καὶ 'Ιῶνας καὶ οὓς ἔκταν 'Εβραῖοι. horridum versum sic refingo: 'Αμβακαούμ, 'Ιωνᾶς καὶ οὓς ἔκτειναν 'Εβραῖοι. de hiatu in fine tertii pedis supra dixi. — v. 283—85: ὅσοι τοκετοὺς ῥίπτουσιν ἀθέσμως· | φάρμακοι ἢ καὶ φαρμακίδες· σὺν τοῖσι καὶ αὐτοὺς | ὀργὴ ἀπουρανίοιο καὶ ἀφθαρτοῖο θεοῖο | κίονι προσπελάσειεν, nempe columnæ ante tribunal inferorum positæ. τοκετοί etiamsi in procemio Agathiæ et in ipsis oraculis VIII 473 pro partu, infantibus positum est, desideramus tamen hoc loco, quo longa peccatorum series enumeratur, coniunctionem. itaque legendum fortasse ὅσοι τε τόκους. sequentia verba nullum sensum exhibent. sublata distinctione maiore, quæ in codd. omnino deest, post ἀθέσμως scrib. φαρμακοὺς ἢ φαρμακίδας σὺν τοῖσι καὶ αὐτούς, nempe cum iis omnibus, quos ante poeta recensuit. καὶ post ἢ recte abest a codice A. de α producto in φαρμακούς cf. III 225 et qui in lexicis citantur Hippon. fr. 44. Tzetz. Chil. V 756. deinde recte Alex. ἐπουρανίοιο coniecit; sed auribus ingratissima est terminatio οιο uno in versu ter repetita; itaque censeo olim fuisse ἐπουρανίου καὶ solemni illo hiatu post καί in fine tertii pedis. secuntur verba: ὅπου περὶ κύκλον ἅπαντα | ἀκάματος ποταμός τε ῥέει πυρός. coniunctio alienissimo loco inculcata abest a codicibus, qui ῥεῖ habent; fuit fortasse ποταμὸς ῥεύσει πυρός, quam futuri formam novimus ex Ev. Ioan. 7, 38. Adverbio δεινοτάτως, quod v. 291 legitur nova auctoritas accessit e cod. S. miror Alex. in exc. VII hanc formationem rarissimam (v. Buttm. gr. gr. II. p. 346) silentio præteriisse. — v. 296. 7: ἐκ ποταμοῦ μεγάλου πύρινος τροχὸς ἀμφικατέρξει | αὐτούς, ὅττ' ἄρα τοῖσιν ἀτάσθαλα ἔργα μεμήλει. plusquamperfectum ferri non potest, l. μέμηλεν, ut infra v. 314. 428 — v. 303: ἀλλὰ μακρὰν ζοφόενθ' ὑπὸ τάρταρον εὐρώεντα | τειρόμενοι βώσονται, l. μακρόν. — v. 326. 7: κοὐκέτ' ἐρεῖ τις ὅλως, νὺξ ἤλυθεν, οὐδὲ μὲν

αὔριον | οὐκ ἐχθὲς γέγονεν, οὐκ ἤματα πολλὰ μεριμνᾶν. emendatio petenda ex VIII 424 sqq. l. νὺξ ἤλυθεν, αὔριον ἔσται, deinde μερίμνης. v.329 qui sententiæ connexum mirifice turbat, non tam eradendum esse censeam cum Alex., quam superius reponendum post v. 325. — v. 333. 4: ἐκ μαλεροῖο πυρὸς καὶ ἀθανάτων ἀπὸ βρυγμῶν | ἀνθρώπους σώσαι δώσει· καὶ τοῦτο ποιήσει. Alex. e codd. R L μακραιώνων τ' ἀπὸ βρυγμῶν recepit et priorem lectionem propius sane accedere ad theologicam veritatem, sed contra auctoris mentem totiusque loci tenorem pugnare ait. fuit sine dubio καὶ ἀκαμάτων ἀπὸ βρυγμῶν. pro μαλεροῖο l. μαλεροῦ δὲ, qua particula hoc loco carere non possumus. — v. 342: ἤλιτον οὔτε γάμων μεμελημένη οὔτε λογισμοῦ. codd. habent λογισμοῖς, l. λογισμῶν. — v. 346: ἐμῶν ἀπὸ μαστικτήρων | ῥῦσαι δή με κυνῶπιν ἀναιδέα πρήξασάν γε. codd. Pr A B omisso γε habent πρηΐξασαν. præstat τε πρήξασαν. Alex. postea recte intellexit γε ita in fine positum ferri non posse. at quam commentus est ratiocinationem ad defendendum verbum πρηΐσσω mihi vana videtur.

Lib. III 1: ὑψιβρεμέτα μάκαρ οὐράνιε, ὃς ἔχεις τὸ Χερουβὶμ | ἱδρυμένον. at primum l. ὑψίβρομος quod ex veri simili Piersoni coniectura extat in Orph. h. 19, 1. memoria formæ Homericæ lapsum calami traxit apud librarium. deinde l. οὐράνιος. in archetypo fuit οὐράνι', quod servaverunt R L, apice non pro apostropho posito, ut putavit alter librarius, qui pravo hiatu labanti versui subvenire sibi visus est, sed pro compendio terminationis ος, ut sæpe in his libris, cf. I 215. τὰ Χερουβὶμ habent iidem codices, quam scripturam non solum loci Ps. 79, 2. 98, 1: ὁ καθήμενος ἐπὶ τῶν Χερουβίμ, commendant, sed quæ prorsus necessaria videbitur reputanti grammaticorum præceptum numero singulari χερουβείμ et σεραφείμ plurali χερουβίμ et σεραφίμ scribendum esse, de quo Dindorfius dixit in Steph. Thes. v. χερουβίμ, nec non ad Athan. Alex. præc. ad Ant. p. 68. initio versus secundi l. ἱδρυμένος, non enim Cherubim circa Dei solium sedent, sed psalmi Deum καθήμενον ἐπὶ τῶν Χερουβίμ nobis ostendunt, id quod rectissime adnotavit Boissonad. ad. Philostr. ep. p. 208. sane perquam moleste terminatio ος totiens repetita auribus accidit, sed Sibyllistas minime fuisse cacophoniæ osores innumeri oraculorum loci ostendunt. ceterum in his sua cuique scriptori placuit ratio. apud Herod. IV 23 ita legitur: συνεχέες δὲ τούτοισι ἐν τοῖσι αὐτοῖσι τόποισι κατοικημένοι εἰσί, τοῖσι οὔνομα κεῖται Ἰῦρκαι. finge hæc Reuchliniano ore pronuntiata esse. apud Libanium tersissimum scriptorem T. I p. 129 R. hæc inveni: καὶ ἐν αὐταῖς ταύταισι ταῖς τοῦ πάθους ἡμέραις. verum ταύταισι utpote ortum ex dittographia delendum videtur. denique de mensura vocabuli ἱδρυμένος v. Iacobs. ad Anth. Pal. III, 1 p. 242. — v. 39: οἷς κακὸν ἐν στέρνοισι ἔνι μεμανημένος οἶστρος. Alex. præeunte Castalione dedit κακός. fortasse nihil mutandum. vertas: quibus malum h. e. peccatum in pectore est tamquam vesanus asilus. — v. 44: χῆραί τε γυναῖκες | στέρξουσι κρυφίως ἄλλους πολλαὶ διὰ κέρδος, l. πολλόν. — v. 55: οἴ μοι δειλαίη, πότ' ἐλεύσεται ἦμαρ ἐκεῖνο, l. τότ' secundum totius sententiæ connexum. ἦμαρ ἐκεῖνο est dies extremi iudicii, πικρὸν ἦμαρ v. 59. — v. 57: ἄρτι δέ τοι κτίζεσθε πόλεις κοσμεῖσθέ τε πᾶσαι. versus initium ineptum est. coll. XIII 64 putavi aliquando scribendum esse αὐτὰρ νῦν. — v. 82: ὁπόταν θεὸς αἰθέρι ναίων | οὐρανὸν εἰλήσῃ καθάπερ βιβλίον εἰλεῖται. versus desperatus. coll. VIII 233. 413 certum est legendum esse εἰλίξῃ. at clausula versus illis locis prorsus alia. versus qualiscunque evadit, si scribitur: οὐρανὸν εἰλίξῃ εἰλισσομένην ἅτε βίβλον, coll. Apollin. Ps. CI 53: πάντα δ' ἐναλλάξουσιν ἑλισσόμενοι ἅτε φᾶρος in metaphrasi Ps. 102, 26: καὶ ὡσεὶ περιβόλαιον ἑλίξεις αὐτοὺς καὶ ἀλλαγήσονται. sed placet adhuc sententia iam olim prolata genuinam intercidisse scripturam adscripto in margine altero e notissi-

mis sacræ scripturæ locis Apoc. 6, 14. Ies. 34, 4. — v. 83: καὶ πέσεται πολύμορφος ὅλος πόλος ἐν χθονὶ δίᾳ. codd. omisso καί habent πεσσεῖτε (πεσεῖται S) h. e. πεσσεῖται fictum ad analogiam formæ ἐσσεῖται. — v. 127: καί ῥ' ἔκριναν βασιλῆα Κρόνον, l. καὶ κρῖναν. quam coniecturam nescio a quo prolatam qui haud probabilem vocavit Alex. exc. VII p. 602 propter usum particulæ ῥά non facile huc a librariis invectum, non cogitavit de superscripto ἀνθρώπους in præcedente versu.— v. 128: οὕνεκά τοι βρέσβιστός τ' ἦν γε καὶ εἶδος ἄριστος. Alex. πρέσβιστος ἔην καὶ εἶδος ἄριστος. l. ἔην τε καί.

